





13835

1. Abth.

2. Abth.

3. Abth.

Das Buch von den  
Conceden behal-  
ten werden kann.



Allg. Deut. Progr. t. 16 s. 33



235543

III



0259

7

MICH. KIRSTENII  
COMETA,  
Poëma.

Ad amplif. virum  
JOHANNEM HEVELIUM  
Senatorem Dantiscanum,  
ASTRONOMUM SUMMUM.



HAMBURGI,  
Apud Zachariam Hertelium,  
A. C. clb lcc LXV.

*Johannis Ephraim Scheibel. Præst. clb lcccxxxiii.*



LP

MICH. KIRSTENII  
COMETA


Росица.

Ad amplius vitium


IOHANNES HEVELIUM

IN IMAGINEM HEVELII.

**H**EVELIUM pingit pictor, se pingit & ipse  
HEVELIUS: cuinam pingitur ille magis?  
Nonne vides? animo cunctis se pingit in astris.  
O quantus pictor, quanta tabella viro est!  
Si quoque, sed forti cernatur lumine, docto  
HELIOS est Mundo, qua patet, HEVELIUS.



235543



HAMBURG

Apud Zachariam Hevelium

A. C. de lae LXV.



JOHANNI HEVELIO

DANTISC. SENATORI,

URANIÆ INTIMO, SIDERUM FAMILIARI,  
NATURÆ INTERPRETI FELICISSIMO:

QUI COELESSES SECULORUM OMNIUM  
LABORES, ET INVENTA SUIS ÆQUAT, AUGET,  
CORRIGIT, SUPERAT:

ADEOQUE,

POST COPERNICUM, TYCHONEM,  
KEPLERUM

SUMMOS VIROS,  
DIVINAS ARTES SEPTENTRIONI VINDICAT,  
AUSTRO EREPTAS:

POSTERITATEM IMMORTALIBUS BENEFICIIS  
DEVINCTURUS:

STELLARUM FIXARUM, ERRANTIUM,  
ET NON MINUS

COMETARUM METATORI,

NUMERIS, LEGIBUS, NORMIS CERTIORIBUS  
REPERTIS:

HUNC COMETAM SUUM,  
[LICET VERO CARMINE RES VERAS, ET SACRAS LOQUI,]

ALTERIUS UMBRAM,  
OCEANO GUTTAM,

SUI VERO ANIMI DEDITI, ET CULTUS  
VERUM ARGUMENTUM,

D. D. Q.

MICHAEL KIRSTENIUS,

HAMB. A. C. cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup>c LXV.



# COMETA.



\* Circa d.  
XI. Dec. Juli-  
ani longam ul  
tragr. 22.

ULSIT in ætherea Mundi regione Cometes  
Nuper, & in nostra late spectacula terra  
Præbuit. Infoliti mirantes sideris ortus,  
Atq; tumens caput, & tractam perinania caudam,  
\* Longius attoniti stabant, versisque videntes  
Vultibus, & tristi volventes pectore sortes  
Venturas: quæ sint miseris hinc fata timenda,  
Quas accensa polo minitetur flamma ruinas.

SE movit Natura iterum, mirumque reluxit  
Divinæ virtutis opus, propiorque cucurrit  
Ad terram Fax accelerans, si sidera cernas  
Quæ nimium distant. Nam non certissima coelo  
Semper eunt, ut sunt propriis hærentia fixa,  
Sedibus, aut vario spiras torquentia motu,  
Perque vices similes. Alia sunt lege creata  
Plurima. Per latos tendunt rapidissima campos  
Ætheris: utque potens emissa profudit origo,  
Et pellens vertigo rapit. Mysteria Mundus  
Continet hic, & plena DEO sunt omnia magno.

RARA movent, insveta animos oculosque fatigant  
Humanos: quanquam redeunt miracula summa  
Quotidie, & passim Numen dominatur in omni  
Corpore, perque omnes motus. Consurgit ab ipso  
Vis Mundi medio pollens, seseque propagat  
Undique. Non mirum minus est ad lumina Solis,  
Quem penes imperium Mundi est a Numine summo,  
Errantes flecti stellas, illumque rotari  
In sese, maculis tantum fuscantibus ignem,

<sup>a</sup> Ex hypothese Pythagorea.  
Vid. Arist. 2. de cal. 13.

Cum redeunt, <sup>a</sup> Terram, dum volvitur, axe tenere,  
Se stabili tamen, & stellas, qui semper easdem  
Respicit, ut nunquam mutetur cardine cardo,  
Et Lunam nobis unum latus usq; videndum,  
Libratum monstrare: suos Martemque Jovemque  
Et reliquos hucusque globos absolvere cursus  
Legibus æternis Phœbeia jussa secutos.  
Talia sunt, & plura, quibus vis omnis hebescit  
Ingenii, miranda: tamen non mira videntur  
Pluribus, eveniant cum certo tempore cuncta.

Cre-



Crebrius. At miseros immanis sæpe Cometa  
Afficit, & ne tota ruat structura, verentur.

QUALIS erat nuper. <sup>b</sup> Venientem vidit ab orbe  
Europa Australi primum, cum Phœbus in aula  
Hæreret fulgente viri, qui nititur arcu  
Illius ante ortum. <sup>c</sup> Fugitque & flexit habenas,  
A Sole averfus, <sup>d</sup> primo piger, inde citatus,  
Ut nobis visum est: rursus lentissimus, & jam  
Stans prope. <sup>e</sup> Dimidiumque fere percurrit Olympum,  
Vastum iter emensus. Libræ de fine bidentem  
Venit ad auriferam. <sup>f</sup> Medio lux corpore densa,  
Et magis aucta fuit, quæ nunc accrescere visa est,  
Decrevitque iterum. Si sint vestigia curvæ  
Designanda viæ, Corvo, qui flexibus Hydræ  
Insidet, exiliit, cauda spectabilis ampla,  
Occasum feriente. Via progressus ad Austrum  
Declivi porro est. Et sub Cratere volutus,  
Atque infra Phœbi rota quo convertitur orbem,  
Et flexus Hydræ, ductis ambagibus ivit.  
Deinceps non paucis densa caligine coelum  
Noctibus infectum stetit hic, ut tota lateret  
Fax nova, cum reliquisque, quibus depingitur æther.  
Interea summam puppim, quæ structa Minervæ  
Arte fuit, perstrinxit, & hac depressior ima  
Sede fuit. Provecta Canis lucentia magni  
Tergora pervasit. Sic, cum promota redibat  
Limite ab opposito, valde perneciter acta  
Ingens transierat spatium, coeloque remota  
Dimidio a Titane, volens quoque vespere Mundum  
Illustrare novo, cunctasque ostendere formas,  
Jam minor, & paucos fundens à vertice crines:  
Hocque magis plena quod Cynthia luce premebat.  
En, dum præfulgens stellis spectatur Orion,  
In Leporis collo nobis apparuit illa  
Expectata minus, longo non tempore visa.  
Et variis hucusque modis mutata fefellit  
Incautos, aliud sidus fortasse renatum  
Credentes. Aliis etiam dubitantibus error  
Continuo decessit. Erant vestigia clara  
Quippe viæ, quæ tota hærens sibi reddidit unam,

Observatio Cometica.

<sup>b</sup> Visus est Cometes varie in  
diversis locis. Lugduni Batav. d.

<sup>c</sup> Dec. in Corvo, in recta linea  
22. Nov.

in ala dextra & stella in pe-  
lore. Lutet. Paris d. 22. Dec.  
Hamburgi & alibi multis in lo-  
cis d. 3. Decemb. Julian obser-  
vatus fuit: & d. 4. adhuc à  
pluribus. Quo tempore sen-  
batur in 8. gr.  $\square$ . Lat. A. 22.  
in 23.  $\ddagger$ .

<sup>e</sup> Movebatur C. S. S. Ex  $\square$  in  
V. Lat. A. 22 gr. ad Lat. Bor.  
7. gr.

<sup>d</sup> Initio tardissimus erat, à  
prima statione, ut nobis apparet,  
recens: deinde d. 19. & 20. Dec.  
velocissimus in Lepore, 12. & fe-  
re 13. gr. motus diurni, resp. e-  
clipticæ, in  $\circ$  rursus tardis-  
simus circa 25. Januar. in altera  
statione: post quam directus in-  
cedere cepit.

<sup>e</sup> In ecliptica emensus gr. 160  
& amplius forte à d. 22. Nov. ad  
8. Febr. dieb. 79.

<sup>f</sup> Nucleus clarior, & densi-  
or in medio corpore, sive medi-  
tullio. In eo tamen plurima  
particula per telescopium appa-  
ruerunt. Caput crispum, & densum  
capillitio villosum.

<sup>g</sup> Die 20. Decembr. cauda  
valde imminuta hic videbatur,  
cum ab 11. usque latuisset: unde  
pro alio habebatur.



g Nemp̄ in oppositam a  
plagam.

h Eclipticam transiit, ab Au-  
stro in Septentrionem decurrens  
d. 6. Januar. in extremo dode-  
catem. Y.

i Visus est d. 18. Febr. in 28.  
gr. 37 m. Y. cum Lat. B. 7. 10.  
Dantisci Ampl. Hebelio, per tele-  
scopium pallidissimus, & cauda  
omni exutus. Et deinde d. 10.  
utunque apparuit: postea nu-  
bes obsistere. D. 26. Febr. aut 7.  
Mart. celo sereno non amplius  
ullaratione est deprehensus.

k Cometa posterior.

Et conspirabant alibi suffragia visa.  
A Lepore audaci repetens sublimia cursu  
Ibat ad Eridanum jam segnior, & magis usque  
Tarda gradu: veluti nitens ad culmina montis,  
Viribus exhaustis: cauda crescente vicissim  
Interea, quam g conversam tendebat ad ortum  
Et jam pulsabat Ceti patula ora repandi,  
Adscendensq; magis h Phœbeæ ducta secabat  
Fila viæ, frontemque oculosque, atq; edita Pristis  
Culmina. Cum superasset, Ovem est aggressa jacentē:  
Cujus, quo fuerat, voluit transcendere nisu  
Cornua. Non potuit: verum infra substitit aures  
Jam moriens. Lenta nam tandem tabe soluta  
Interiit, molemq; suam lucemq; micantem,  
Clarius, & robur densa in compage coactum,  
Atq; adeo vitam sensim, cum firmate longo,  
Perdedit. Et postquam nudis non amplius ullis  
Conspecta est oculis, nihilo per vitra refulsit  
Tunc minus, & speciem quandam tenuemq; figuram  
Exhibuit: donec porro non amplius ulla  
Arte videretur, paulatim accisa magisq;  
Et magis, & cunctis veluti liquefacta medullis.  
Sol Pater interea Chironis ab arce recessit,  
Et Caprum fervente rota percurrit, & una  
Astra Viri fundentis aquam, jamq; hæsit in ipsis  
Piscibus, & voluit fugienti instare Cometæ.  
Hic fuit eximæ facis exitus. O mihi questus  
Mittite mortales homines, occumbere leto  
Quod nos fata jubent: quando hic est finis in alto  
Naturæ tantorum operum, nec tempore longo  
Illa manent. Fatum lenit commune dolorem.  
k ECCE autem plures fœcundi vidimus ignes  
Ætheris, & subito, cum vix exstingvitur alter,  
Alter adest, caudaq; polum radiante Cometes  
Dividit. In tanto nova rursus scena theatro  
Panditur, haud longe distans, ubi meta prioris  
Fixa fuit. Voluit repetitis prodiga cerni  
Luminibus natura parens. Nec semina defunt  
Tot stellis, spatiumq; loci. Vastissima sedes  
Hospitibus Cœli est, & regna amplissima rerum

Dan-



Dantur, inexhaustiq; creant nova sidera fontes.  
 Vix fuerat Titan tepidi nova limina veris  
 Ingressus, cum se mediæ post tempora noctis,  
 Accensa Eoa, Boream qua respicit, aula  
<sup>a</sup> Stella ostentabat. Præcedit cauda vaganti  
 Lumine: consequitur lampas pulchreq; nitescit.  
 Eximium caput est: crines emittit in altum,  
 Et solem antevenit. Sed cum mox ille levaret  
 Se magis, & superas oriens incenderet oras,  
 Debilitata fugit. Soli tamen ultima pugnat,  
 Dum cedunt aliæ. Solem decurrit ad ipsum  
 Nec præceps, nec lenta nimis. Crescentibus hausta  
 Hinc adeo radiis, citiusq; erepta videri  
 Desiit. Antinoi forsan de sede profecta,  
 Alatum conscendit eqvum, victamq; puellam.

<sup>aa</sup> O MEA, quæ fundit properantem caussa Cometam,  
 Pieri? quo spatio, qua Mundi parte creatur?  
 Ex qua materie? Quo lumine flagrat, & hirtas  
 Unde oras nactus vibrat caudamve comamve?  
 Quove ille incedit, ductoq; per aëra, gyro?  
 Et quantum durat, quo sese abscondit, abitque?  
 Quo fine exoritur, quæ nunciat ordine fata  
 Eventura, quibus magis est per signa timendus?  
 In tenebris miseri positi sumus, atq; propinqua  
 Vix est nosse datum. Fugiunt coelestia longe,  
 Nostrisq; illudunt animis oculisq; remota.  
 O quis naturæ felix, & pectore forti,  
 Sacra movet, rerumq; arcana abscondita promit?  
 Talia dicenti stellis nitidissima pictis  
 Uranie visa est, & ait: sacri ardua Mundi  
 Moenia sunt, ingens rerum patet undiq; fundus.  
 O mihi decepti nimis, & plebeja secuti,  
 Magnorum immemores, incautos flectite sensus,  
 Emendate animos: fines extendite, claustra  
 Rumpite, queis cordi est ex parva hac tollere terra  
 Os coelo sublime, Deoq; addicere mentem.  
<sup>b</sup> Sunt rerum fines, pomœria sunt laxanda,  
 Hæc prima est labes valde omnia credere parva,  
 Et ne magna nimis sint, & producta, vereri,  
 Credite, nil magnum est, quod certo fine tenetur

<sup>a</sup> Visus nobis ultimis diebus  
 Martii, & primis Aprilis mensis,  
 circa constellationem Pegasi.

<sup>aa</sup> De Cometarum causis,  
 loco, luce, crinibus, cau-  
 dave: de via motus, interitu  
 duratione, numero, magnitu-  
 dine: deque prognosticis.

<sup>b</sup> Hypotheses, per quas cæli  
 planetarii major vastitas poni-  
 tur, & magnitudo Solis auctior:  
 quæ negotio cometico magis di-  
 lucidando faciunt. Hevel. So-  
 lem à terra longissime vel per  
 5250. Semid. terra remotet.  
 [Eam facit terra majorem vici-  
 bus 38600. Ricciol. Vid. Hevel.  
 in Mercurio in Sole viso, p. 83. &  
 seqq. Item de natura Solis aliæ  
 hypotheses.



c. Ita Veteres plurimi doce-  
bant, ante Arist. inprimis Py-  
thagoræ Arist. l. d. in medio  
Mundi esse ignem, appellabant  
τὴν τῆς Διὸς Φυλακὴν,  
s. Jovis custodiam. Vid. Astron.  
Philolaic. lib. 1. cap. 7. & P. C.  
Schottum ad iter æstatic.  
Kirch. de Sole, p. 170. Hevel.  
Selenogr. cap. 5.

d. Sol constat ex substantia  
solidiore, & coherente ignita:  
& ex liquidis fluentibus, magno-  
que aestu impulsis. Canalibus  
proculdubio pervius est, & aestu-  
ariis. Partes lucidiores emicant,  
quæ faces dicuntur.

e Sol movetur in orbem circa  
centrum, diebus 27. circiter,  
vel paulo amplius.

f. Quæ quas nubes sunt, sive  
partes crassiores, & opacæ ma-  
gis minusve, ex Sole emissæ.

g Vid. Kepler. Astr. Coper-  
nic. lib. 1. p. 56. & al.

h Materię Cometicę excre-  
ta præcipue ex Sole: deinde ex  
aliis corporibus cælestibus.

\* Corpus scabrum est, & ina-  
quale.

Conclusum: immensi sola est præstantia summa,  
Mangumque hoc vere est. Sunt autem cetera vasta,  
Ut forte accipimus, dum nobis usque minora  
Occurrunt, & mole placent. Nam fingite, reddi  
Mille modis majora: potest augere vicissim,  
Mille modis aliis aliisque immensa potestas.  
Sol adeo est ingens nobis, & corpore toto  
Arduus. c. Æternis idem Sol ignibus ardet,  
Et valide effundit pleno exundante camino:  
Hinc æstum, & lumen partes diffundit in omnes,  
Ac totum hunc animat Mundum, missisque gubernat  
Viribus. Hoc pellente volant per inane Planetae,  
Limitibus positus. Vis est divina corusci  
Principis: illa Dei est, & fulgentissima sedes,  
Cor est naturæ, rerum est vitalis origo.  
d Flamma tenax Soli est, crassisque impacta perennes  
Partibus emittit fluvios, atque æstibus acta  
Vorticibusque undas longe jacet, atque resorbet  
Ignitas. Veluti cernas liquefacta metalla  
Vase amplo fluere, aut Ætnam fervere tonantem.  
Atque ideo proprio convertitur e axe rotatus  
In sese: certis repetit vertigo diebus.  
Præterea vultus sæpe est purissimus, omni  
Labe carens, sæpe est f maculis squallentibus ater,  
Parte aliqua, fuscusve. Faces & lumina passim  
Vibrata exiliunt, & fulgura clara feruntur:  
Et pereunt nubes illæ, redeuntque locisque  
Aut his, aut aliis. Interdum maxima surgit,  
Rara tamen, nostram quæ possit cingere terram,  
Aut magnam illius partem, Junguntur & illæ,  
Absceduntque iterum. Tanta est mutatio formæ.  
g Quin etiam visum est aucta caligine solem,  
Obtegi, & obscura tectum fuligine vultum  
Perdere fulgentem, & lucem præbere malignam  
Terricolis: nubes adeo invalere tegentes.  
TALES producunt igitur nova sidera cæussæ.  
h Nam fit, ut ejectæ partes, vertigine pulsæ,  
Inter se propria coeant, stipentur, & unum,  
Forte opus efficiant. \* Hoc est difforme, figura  
Degeneri, & varia fluidum findente tumorem



Scabritie multa: licet annitantur hiantes  
 Ad sese partes. Cum profilit, hac sibi latum  
 Pandit iter, qua fert magis impetus, atque per i arces  
 Sic volat æthereas. Alii incrementa Planetæ  
 Adjiciunt etiam, fumantque vaporibus illi  
 Non minus: aut etiam soli ejaculantur. Ad ipsas  
 Anne etiam fixas licet hinc accedere coeli  
 Lampadas? Est nimium, quo diffidet intervallum  
 Mundus fixarum. Tamen illas fervere flammis  
 Non minus, & cum sint majores mole, putandum est  
 De<sup>k</sup> se multa dare, æthereis volitantia circis.  
 Sæpe sub exortum minus est, nec partibus aptum.  
 Hoc opus: accrescit paulatim, & fortius ardet,  
 Et veluti gemmæ plures, densæque renident  
 In medio, & luce illustres.<sup>l</sup> Rarefcere robur  
 Rursus, & exsolvi vires, fulgorque perire  
 Incipit. Et tandem totus per membra Cometes  
 Dissilit, ad fontesque suos revocata reverti  
 Materies amat, & pariter vertigo retorquet.  
<sup>m</sup> Namque in vorticibus coeli pellensque trahensque  
 Vis dominatur: habent quo corpora mota vehantur,  
 Accipiuntque. Citant auræ de sole fluentes.  
<sup>n</sup> De sole est etiam lumen, radiique meantes  
 Cum varie impingant, trepido splendore refusi  
 Afficiunt oculos, & scintillantibus astris  
 Sæpius accedunt, sæpe est tenuissimus ardor.  
 Credendum tamen & propriis ardescere quædam  
 Ignibus, & mersis, & per spiracula rupta  
 Quandoque emissis, cum flamma a fonte recepta est  
 Unde abeunt. Sic terra suos densissima fundit,  
 Sideraque & forsan reliqua obvolitantia Soli.  
 ° Cauda autem unde est? eadem contraria Phoebo,  
 Semper ab hoc regitur. Radii, torrente profusi  
 Perpetuo, nuper natam pervadere molem  
 Non cessant, tenuesque ferunt in dissita fumos,  
 Quos ita collustrant. ¶ Hinc fit longissima cauda,  
 Vel brevior, vel nulla etiam. Quæ nempe videtur,  
 Nam Solem & nostros oculos hæc visa sequuntur,  
 Insolitamque facem. Conspirant ordine causæ.

EST

i Locus Cometarum.

k Accrescit Cometa.

l Interitus, sive dissolutio.

m Unde motus vim accipiat.

n Unde lumen ejus sit.

o Cauda procreatur à radiis solaribus, qui transeunt per corpus Cometicum, & effluvia, in adversam partem depulsa, illustrant, varia refractione, & reflexione interveniente.

p Cauda variatur pro situ Cometae respectu Solis, & oculorum adspicientium.



q Cometarum via, sive linea  
motus, & motus ipsi.

r Apparens motus interra  
axistentibus, tribuendus est pro-  
prio, & vero in orbita cometaria  
quæ eclipticam in binis locis, sive  
nodis certa inclinatione secat:  
& motui diurno, sive ☉, sive  
terræ. Ex iis n. apparens, quasi  
tertius conficitur motus.

s Linea motus neque circu-  
laris, neque recta est exacte: sed  
incurbat ut sunt conicarum sectio-  
num variæ.

t Plagæ, unde exiliunt: Fre-  
quenter ex vicinia Solis.

u Numerus Cometarum.  
Hoc seculo visi Cometæ sunt, 1.  
an. 7. circa ursam majorem. 2.  
Anno 18. ille famosissimus qui  
à lancibus libræ & arcturo ibit  
ad Polum Borealem. Eodem an-  
no tres alii. Vid. Vendelin. in  
seratologia Cometica. 6. An. 52.  
in fine, ex tauro in caput Medu-  
sæ progressus. An. 61. in æ-  
quila. Ut hic jam octavus sit  
conspicuum.

Ricciolus habet 154. ad an.  
Ch. 1618. quos enumerat, qui  
observati sint ab initio rerum. Sed  
longe plures sine dubio extitere.  
Et numerus etiam ille augeri po-  
test ex prætermisissis, & recentio-  
ribus.

x Duratio Cometarum in  
uno die quidam visi sunt con-  
sumpti.

y An. C. 1240.

z A. C. 375.

a Cometæ plures eodem  
tempore visi vid. Riccol.

q EST via currentis pariter signanda Cometæ,  
Hic opus, hic etiam labor est. Junguntur in uno  
Tres motus, quæ sit, quo cernitur ire. Movetur  
Ex sese æquali, proprioque in calle recurvo,  
A recto distante parum. Qui dissecat orbem  
Titanis varie incumbens. Sic ille per æthram  
Trajicitur. Velox telluri admotus in arcu  
Tardior abscedens: consistens atque retrorsum  
Actus, ut ad Solem convolvitur, atque videtur.  
Et nunc mane novo lucet, nunc vespere sero,  
Pro spatiis quibus est a magno rege remotus.  
Ante obitum cœlo mersatur sæpe profundo;  
Nec plaga certa faces vomit, & finita comatas:  
Omnibus excurrunt, & convertuntur in omnes.  
Longe etiam plures, quam nos cernamus, oportet  
Credere: nam nequeunt homines spectare minutas,  
Vicinas Soli nimium non cernimus unquam,  
Sublimes aliæ effugiunt. Nam diximus amplas  
Esse vias: distare immensa volumina cœli:  
Quin etiam x tempus, quod transigit hospita turba  
Ætheris, haud unum est. Paucis superesse fugaces  
Lusibus hi, paucisque solent in mensibus illi  
Criniti errone: aliis est longior ætas,  
Quæis magnum forte est, solidumque in corpore robur  
Non multis hæc vita data est. Rarissimus autem  
Illorum est numerus, qui y senis tempora vitæ  
Mensibus exæquant, aut octo z denique, quorum  
Nempe fuit Lucina potens. Mortalia fallunt  
Lumina. Quis terræ prognatos incola cernat  
Continuo: quis deinde oculis super alta sequatur,  
Dum peteunt, longeque abeunt per devia Mundi?  
Nec porro decrunt alii labentibus annis,  
Dum stabit moles rerum hæc, illisque renatis  
Humanos animos labor idem & cura manebit.  
Sol quoque non paucos radiis flagrantibus abdit.  
a Anne etiam rerum plures in parte coorri  
Diversa exiliunt & eodem tempore? Verum est,  
Esse uno plures ausos decurrere in anno:  
Et pariter verum est, & iisdem posse diebus  
Disjunctos spatiis erumpere. Nam patet æther

Im-





Immenſum, multosque capit. Sunt denique tales  
Conſpecti ſimul, & curſu diverſa petentes.

\* Moles non eadem eſt, ſed diverſiſſima : terram  
Æquare, aut etiam poſſunt transcendere magni.

HÆC cum dixiſſet naturæ conſcia virgo,  
Obticuit paulum, rurfusque : O noſcere non eſt  
Omnia fas homines, inquit. Mens optima Mundi  
Non finit. Atque opus eſt mortalia corda laborent,  
Atq; DEUM quærant magis, & ſublimia tentent.

Ecce etiam miræ quæ ſunt, & in æthere viſæ  
Sublimi, ſimilesque faces conſtantibus aſtris,

<sup>b</sup> Quæ nullis horrent caudis, & ſemper eadem,  
Sede hærent? Qualis quondam <sup>c</sup> clariffima fulſit  
Caffiopes Iolio, nitidoque in pectore Cycni,

Aut dextro <sup>e</sup> Serpentigeri pede : qualis & illa eſt,

<sup>f</sup> Quæ noſtro hoc fugit, atque redit mutabilis ævo,  
In cervice feræ, forma variante, marinæ.

Quæ ſint hæ porro divinæ mentis acumen,

Pandat, & his laudes ſupremi Numinis ornet.

Quærereque hoc magis eſt labor arduus, anne globorum

Hactenus ille diu qui manſerit, igne voraci

Incaluit poſtquam, rumpatur, & ardeat olim?

Multa reſervavit DEUS, ut ventura revelet

Posteritas. Nunquam natura exhausta carebit,

Quod diſcant homines. Sua quæque intelligit ætas.

ADDIDIT Uranie. <sup>g</sup> Forſan tu fata futura

Sollicitanda putas, & ſi qua adjuncta Cometis,

Quæ præſcire velin homines: quæcunq; per orbē

Eventura polus ſubitis denunciât aſtris,

Inprimis damna, & clades, & funera acerba?

Nimirum ſummi arcanos aperire reſceſſus

Numinis, & divina homines prævertere tentant

Conſilia. Et ſæpe ex alto deducta petuntur

Quæ ſunt ante pedes, debetque docere Cometa

Quæ Deus ante ſatis dixit: mirandaque ſola

Sidera ſunt, cum ſit majeſtas addita cunctis,

Non magis errores alibi, & veſania regnat.

Quod verum eſt tamen, exortis natura movetur

Talibus, & Mundus patitur per mutua vincla

Conſpirans: molisque auctæ, motuque citatæ

\* Magnitudo Cometarum.

<sup>b</sup> Stella novæ, raræ, ſæpe miræ,  
fixæ ſimiles. *vid. Riccol. l. 8. ſ. 2.*  
<sup>c</sup> Gaſſend. *Phyſ. ſect. 2. lib. 5.*  
<sup>d</sup> In Caffiopes, *An. 1572.*  
<sup>e</sup> *An. 1600. & deinceps.*  
<sup>f</sup> *An. 1604. & 1605.*

<sup>g</sup> *An. 1618. in Ceto obſer-*  
*vata eſt, & deſcripta I. Ph. Hol-*  
*vardæ Franecker. Eſt autem il-*  
*la, quam vidit An. 1596. in Aug.*  
*David Fabricius: & in Beyerii*  
*Uranometria, neſcio quo ſato,*  
*comparat, in aſteriſmo Ceti, ju-*  
*cta curvaturâ, ſeu gibbum, edi-*  
*ta An. 1603. Viro ſummo J. Jun-*  
*gio noſtro obſervata ſapientius. Il-*  
*luſtrata eſt commentario ab am-*  
*pliſ. Hevelio. Per vices illa*  
*hactenus rediit, & abit, creſcens*  
*decreſcens, & varie. Obſervata*  
*eſt Junio An. 1648. d. XI<sup>o</sup>*  
*Febr. par ſere lucida in mandi-*  
*bula Ceti, & ruſa. Quo tempore*  
*mihietiam conſpecta eſt Heime-*  
*ſtati. Rurfus An. 1656. initio*  
*Nov. exigua admodum appare-*  
*bat. An. 1657. init. Januar. Vi-*  
*ſa eſt jam major, & fere æqualis*  
*duabus in collo ceti. d. 20. & 21.*  
*Febr. Viſa eſt inſignis, & vir mi-*  
*nor, quam eſt lucida in mandi-*  
*bula. Eodem anno in fine non*  
*eſt notata, neque in principio*  
*anni 1658. poſt principium a.*  
*Novembr. Viſa eſt, ſed infra*  
*quartanam. An. 1659. d. 12.*  
*Januar. Viſa eſt æqualis tertia-*  
*na. An. 1660. Viſa eſt illuſtius*  
*lumine, neque cedens clara*

Im-



in mandibula. Vidi rursus die  
18 Oct. & 19. & auctior mole, &  
lumine adhuc fulsi. An. 1661.  
initio aere, & parva visa est.  
A. 1662. d. Junii 4. clare luce-  
bat. Deinceps non observata.


b. Quæ significant, & lex hy-  
pothesi hoc faciunt, divina aut  
humana : vel ob necessariam  
connexionem rei significantis, &  
significata. Illa ad Physicum  
non pertinet : hæc inter causas,  
atq; effecta mutua est, eaque quæ  
cum hisce iterum certo nexu co-  
pulan. ur. Hac ratione cometæ  
terram, inprimis propiores, com-  
movere queunt : loca autem, mi-  
nora inprimis, determinare, ho-  
minesve, id frustra sit : ut & mu-  
tationum genera.

i. Ut sunt de domiciliis, de si-  
gnorum qualitatibus &c.

Impulsu tellus radiosque, & pondera sentit.  
Et magis huic illive potest incumbere parti.  
Sed definitus qua clade prematur ab astris  
Angulus, & quænam gentes quatiantur, & urbes  
Ante alias, & nunc, vanum est promittere : nulla  
Causa subest. Coeli distinguere sidera fictis  
Sortibus estq; nefas, & pectora credula fallit.  
Et quis diversos, & eodem tempore casus  
Ignorat? Fausta infautis per dissita passim  
Conjungi loca? Quos potius fax edita pulsat?  
Immo conspecto multi sunt prospera passi  
Sidere crinito. Si vult Deus, omnia mittit  
Occulta, atq; aliis naturam viribus auget.  
Nos, quæ naturæ sunt, dicimus, & tamen illa est  
Tota DEI, cujus nutu supera ima reguntur.  
Improba Chaldaeos ludant, Arabesque profanos,  
Atq; DEI immemores. Naturæ illustra quævis  
Sunt documenta hominum generi, semperque loquuntur  
Ardua : & inprimis oracula sancta loquantur.  
CETERA quæ fas est homines cognoscere, pandet  
HEVELIUS, Coeli interpret, qui sidera quæque  
Mente adiit, Mundoque suum describit in omni  
Ingenium. Hic totas acies depanget Olympi,  
Atque sacra prendet fugitivos arte cometas.









Biblioteka Śląska

235543

III